

adv. Her-
mog. c. 8.
de anim.
cap. 23.
I. Cor. I, 18.
21. 23.

nī verbis utar, exploferit; hæc contra illam contemferit, ut ſtultitia, vecordia, inſcitiæ plenam; plurimis tamen dogmatis ac præceptis, cum quis propius inſpexerit, conſentientem utramque, & iisdem fere moribus affectatores ſuos imbuentem deprehendere, mirabile ſane eſt. Ac mihi quidem ſæpenumero contigit, ut, cum ea legerem, quæ ad vitam recte probeque inſtituendam, vel à Platone, vel ab Ariſtotele, vel à Cicerone, vel ab Epicteto tradita ſunt, mihi viderer ex aliquibus Chriſtianorum ſcriptis capere normam pietatis. Quod præcipue expertum me memini in collectione admonitionum, quibus ipſe ſe ad virtutem inſtruebat Marcus Aurelius Imperator: hoc enim ſonat titulus libri. Eas vero, eſſi nullo ordine, nulloque ornatu, ſed pro re nata memoriæque ac uſus ſui cauſſa congeſſerat; aureum tamen librum ipſum, & Chriſtiano homine dignum diceres, ſi optimus ille vir, non ad naturam, ſed ad naturæ auctorem Deum, eveſto ſupra objectos ſibi à pueritia errores animo, documenta ſua retuliſſet. Quod & de aliis itidem ſcriptoribus proxime à me commemoratis dictum velim. Hoc enim potiffimum interſt Philoſophiam inter Chriſtianam & profanam, quod hauſta hæc eſt à natura, ejuſque ſtudioſi in una natura deſixi, nihil præter eam viderunt quicquam; illa vero ab ipſo naturæ auctore tradita, tota pertinet ad Deum, in ejuſque contemplatione & cultu verſatur; tanto altera præſtantior, quanto ſplendidiori ortu edita eſt, & nobiliorem finem ſpectat. Ac Philoſophiæ ſane Chriſtianiæ adverſarios frangere poterat doctrinæ utriuſque, ſacræ nimirum & ethniciæ, legumque ab utraque poſitarum conſenſus, & in notitiam, vel in conjecturam certe ac ſuſpicionem veritatis adducere. Nunc re ob oculos poſita reſipiſcant tandem, ac eam deſinant oppugnare doctrinam, quæ & à nobiliori, ſublimiori, longeque certiori ducitur principio, quam ſua; & ſi quid habere videtur calumniis obnoxium, utpote novum aut parum credibile, paria aut etiam minus credibilia à partium ſuarum antiſtitibus propoſita ac deſenſa recordentur.

*Libri argu-
mentum.*

*In compa-
randis do-
ctrina
Chriſtiana
& profana*

II. i. Atque eo continetur illa Rationis humanæ, qua una duce ad veri cognitionem uſi ſunt Ethnici, & Fidei divinæ, qua veritatem aſſequitur Chriſto dicata gens, convenientia, de qua nobis eſt proximis ſermonibus explicandum; ita ut à me habiti ſunt apud amiciffimum & pereruditum virum Hamelium, ſequentibus Alnetanæ noſtræ ruſticationis diebus, poſtridie quam ſuperiora inter nos acta ſunt. Nam cum conveniſſemus bene mane, quæreremque ex eo, quem locum collo-

collo-